

**Nonnulla de nuce vomica observata : quae, cons. exper. Fac. Med. Ups.
praeside Jona Sidrén ... / pro gradu doctoris publico [i.e. publico] examini
tradit Jacob Alm.**

Contributors

Alm, Jacob, 1754-1821.
Sidrén, Jonas, 1723-1799.
Huzard, J.-B. 1755-1838
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Upsaliae : Joh. Edman, 1780.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/yujgzs3u>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

NONNULLA
DE
NUCE VOMICA
OBSERVATA,

QUÆ,
CONS. EXPER. FAC. MED. UPS.

PRÆSIDE
JONAS
SIDREN,

M. D. MED. PRACT. PROFESSORE REG. ET ORDIN.
SOC. SCIENT. UPSAL. MEMBRO,

PRO GRADU DOCTORIS

BUBLICO EXAMINI TRADIT
JACOB ALM,
UPLANDUS.

IN AUDIT. GUSTAV. MAJ. DIE 20 MAJII 1780,
Horis a. & p. m. Solitis.

UPSALIÆ,
APUD JOH. EDMAN, DIRECT. ET REG. ACAD. TYPOGR.

*In longis morbis, (remedium) statim condemnetur, si
quid non statim profuit: minus vero removeatur, si quid pau-
lum saltem juvat; quia profectus tempore expletur.*

CELSUS.

humorosis
dicitur

DE
NUCE VOMICA
OBSERVATA.

Quo tempore inter pharmaca referri cœperit Nux Vomica, veterum scripta eo minus nos instruunt, quod magna Historiæ naturalis apud antiquos regnavit imperitia. Sic nucem hanc alii fungum orientalem *a*), alii radicem cuiusdam herbæ putarunt *b*). Jam vero constat, semina esse arboris, magnitudine Pyri mali, in Malabaria, Coromandel & insula Ceylona crescentis, cui Strychnos nomen est *c*).

In scriptis Græcorum nullum amari hujus fructus vestigium invenire potui. Fortassis illis non innotuit, quod etiam existimat GEOFFROI *d*). Cum vero e Græcia exules litteræ municipium apud Arabes invenissent & laetius inter reliquas scientias vigere cœpisset medica, omnem hi bonarum artium patroni navarunt operam, ut quodammodo excultam & non adeo arctis limitibus cir-

A 2

cum-

a) Referente CÆSALPINO.

b) JAMES Medicinal Dictionary Vol. III.

c) Charact. Generis. Corolla quinquefida. Bacca unilocularis cortice lignoso.

Charact. Speciei Caulis inermis. Folia ovata.

Fructus. Bacca globosa, glabra, maxima, primum viridis deinde flava, crassiuscula saporisque valde amari, pulpa plena, decerpta fragilis.

Semina in unoquoque fructu ad summum quindecim, in tribus phalangibus disposita; orbiculata, deprecta, villosa, villis versus peripheriam radiantibus.

Merito igitur semen vel potius nucleus adpellari debuisset, præsertim quum hæc nux alia quasi nuce sit obducta.

d) Mater, Med. Tom. II. p. 448.

cumscriptam haberent materiam medicam. Hinc varia ab illis detecta fuerunt medicamenta simplicia e), quorum in numero Nucem quoque fuisse Vomicam autumare fas est. Quod enim illi de Nuce Methel scripserunt, admodum verosimile videtur in nostram nucem convenire f). Nimias vero vires ei tribuerunt, quando immunitatem a morsu serpentum sibi polliciti sunt, si per duos continuos integros annos una vel altera quotidie consumeretur. Eandem de Nuce hac fuisse opinionem incolas Ceylonæ insulæ testatur RHEDE von DRAKENSTEIN g). Tantam tamen famam non diu conservasse videtur, si ex alto Medicorum silentio judicare liceat. Postquam vero saeculo decimo sexto, Secta Chemica, Auctore in primis PARACELSO, repudiatis, quæ palato blandiebantur, Arabum syrups aliisque ejusdem census remediis, & rejecta cura antiphlogistica, febres in initio suis alexipharmacis quasi jugulare adnisa est, usus Vomicæ Nucis magis invaluisse videtur. Pesti autem in primis abigendæ accommodata sentiebatur & in hunc finem a Clariss. GESNERO, qui ipse diri hujus morbi infelix fuit victima, memoratur b). Celebri Anatomico FALLOPIO itidem relatum fuit, in Germania nucem a scrupulo uno, immo, quod fidem superat, ad tres felici cum successu datam fuisse i). Decantatum illud de Ovo Electuarium, quod Nucem nostram continet, & ut praeservans a venenis atque antipestilentiale magna itidem in existimatione fuit; GEMMA k) pestem ve-

e) FREIND Histor. Medica.

f) Vid: MATTHIOL. comment. in M. M. Discoridis pag. 205. Et CHABRÆI Stirp. Sciegraph. & Icones p. 25.

g) Hort. Malabar. Fig. 37. pag. 67.

h) GESNER. epistol. pag. 114.

i) FALLOP. Opern T. I. pag. 756.

k) De Curandis carbunc. & bubon. Pestik.

netam, fævitie sua memorabilem, describens, id non dosi exigua, sed ad unciam propinatum vult, Medicis irascens, quod in dosi justo fuerint timidiores.

Fuerunt tamen, qui suspectam habuerunt Nucem, ceu humanæ naturæ minus convenientem, ut videmus ex Pharm. Aug. ab OCCONE edita, qui ab Electuario modo memorato exclusam, eique substituta vult sem. Citr. Ut vero illis fieret satis, qui fiduciam in remedio ponenter, Pharmacopolis injunxit, ut Electuarium de ovo & cum & sine Nuce paratum servarent *l*). Ut alexipharmacum vero in desvetudinem magis magisque visa est abire, quando Medicorum magna lumina, veterum in febribus medendi rationem revocare cœperunt. Mirari itaque convenit, BUCHNERUM in notis ad Dispensatorium Brandenburgicum potuisse vi nucis alexipharmacæ insistere.

In febribus intermittentibus LUDOVICUS, propria innixus experientia, Nucem Vomicam, Gentianæ admixtam, vi febrifuga ipsum Corticem superare Peruvianum contendit *m*); quod tamen experientem fefellisse memorat BOECLERUS *n*). Ceu Anthelminticum a SCHULTZIO & JUNGHANS *o*) æstimatur. In Mania spem medentis opio frustratam restituit, quod ex ALBINO adfert ALSTON *p*). Usum ejus in Dysenteria plurimis exemplis confirmat Cl. D. D. HAGSTRÖM *q*). Denique opportunum esse remedium illis, qui malo Hypocondria-

l) Vid. Pharm. August. ab OCCONE editam pag. 309 & 339.

m) Vid. Appar. Medicamentor. Cel. D. Pr. MURRAY Vol. I. p. 481.

n) In notis ad HERMANNI Gynosuram.

o) MURRAY loc. cit.

p) CHARLES ALSTONS Lectures on the Mat. Med. Lond. 1770 Vol. II. pag. 113.

q) Vid. Acta Ac. Scient. Holm. pro Anno 1773.

co & Hysterico r), nec non Delirio hypochondriaco periodico laborant, BUCHNERUS & JUNGHANS experti sunt. Nimis longum foret & a scopo alienum, si per singula irem, quum mihi tantummodo animus sit, Observationes nonnullas s) de Nucis Vomicæ vi antispasmodica Tecum, B. L. communicare & Experimenta, quæ cum eadem Nuce, Ignatii Faba atque amaris quibusdam a me sunt instituta.

OBS. I.

Puer duodecim annorum, parva statura, bono tamen corporis habitu & colore faciei vivido, in Nosocomium Academicum ad finem mensis Martii proxime præterlapsi anni fuit receptus. Narrabant parentes, ipsum sine causa manifesta per annum epilepsia fuisse adfectum, cuius paroxysmi quotidie fere, interdum bis aut ter, redierunt. Rogatus respondit, se nihil quidquam præter vertiginosum quid sensisse ante imminentem paroxysmum. Post datum vomitorium Flores Zinci in usum sunt vocati, quibus ad diem octavam Maji fuit continuatum. Cum vero ex hoc remedio optatus non succederet effectus, anthelmintica ad finem decrescentis lunæ propinabantur, quamvis nulla vermium adparerent signa, nec per vomitorium morbus mitigaretur, quod fieri debuisset, si ab illis provenisset. Hunc igitur in finem tribus continuis diebus Sem. Cinæ 3j ad 3js vespertinis horis exthi-

r) Sodalis & amicus meus dilectissimus D. Licent. J. P. WESTRING Prædictus Norcopiæ, per litteras nuperrime communicavit, se dato pulvere Nuc. Vomic. ad grana octo cum saccharo bis de die in colica hysterica optimum comperisse effectum. Occasionem tentandi subministravit fama hujus Nucis percelebris in omni fere symptomate hysterico inter rurales mulierculas circa Norcopiam.

s) Binas priores videre mihi licuit in Nosocomio Acad., tres vero posteriores benevolentiae debeo Exp. D:ni D:ris & Facultat. Med. Adj. J. G. ACREL.

hibebatur & matutinis Sal. Angl. uncia semis cum pulv. rad. Jalapp. grana XV. ad XX, quæ medendi methodus post intervallum unius alteriusve diei repetebatur. His remediis undecim lumbrici expellebantur, sed sine ulla morbi mutatione. Cum vero suspicio esset, hospites hos ingratos non solitarios fuisse, luna iterum senescente anthelmintica cura repetita fuit: sed inde nec vermes visi sunt, nec morbus in meliorem statum conversus. Aliud igitur tentandum erat remedium. Tum vero Nux vomica animum subiit. Die X. Junii uti hoc remedio incepit, idque ea ratione, ut primis diebus grana quinque bis de die, aucta dein sensim dosi, grana octo, sumeret; qua medicatione aliqua spes affulsit, quum morbo immunis esset per octo, novem, immo decem dies; verum intercepta, vergente ad finem mense sextili, redeuntibus quo-vis fere die paroxysmis, iisque quam antea gravioribus. Tormina imi ventris, de quibus tunc conquestus est, curam anthelminticam iterandi ansam quidem dabant, sed frustraneo eventu. Nec Radix Valerianæ, quæ demum adhibita fuit, nec Oleum Cajeput, quidquam boni præstiterunt, quin potius Radice, alias communiter in Epilepsia commendata, malum augeri videbatur. Ægrotum igitur, desiderio domum redeundi flagrantem, exeunte mense Novembri, sine ulteriori experimento, ad parentes remittere consultius visum fuit.

OBS. II.

Juvenis rusticus teneriore corpore, convulsiones, ad finem mensis Aprilis sensit, & quidem ab initio aliquoties quolibet die, ad finem vero Junii ita imminutas, ut uno alterove die iis liber esset.

Initio Julii mensis anni 1779 Nosocomio Academicō fuit exceptus. Ante convulsiones ingruentes, oppressio
præ-

præcordiorum cum palpitatione cordis per horam circiter sentiebatur; ea vero præterlapsa, jam brachia, femora & crura, jam truncus corporis, qui per vices anterors & retro flectebatur, jam musculi respirationi dicati, convulsivis agitabantur motibus, idque interdum ea vehementia, ut nisi adstantes præcavissent, e lecto in pavimentum facile excussus fuisset: Paroxysmi, sub quibus sensu se gaudere dixit, flatibus sursum & deorsum abeuntibus finiebantur. Interrogatus respondit, se terminibus imi ventris interdum fuisse adfictum, & ascarides per alvum reddidisse; cum suspicio hinc esset, vermes tanti mali auctores esse, post plenilunium mensium Julii & Augusti, cura instituebatur anthelmintica: sed, præter ascarides aliquot, nulli vermes adparuerunt, mitigatis interim assaultibus convulsionum Liquore C. C. succin, vel pilulis ex asfa fætida & camphora. Cura igitur hac parum succedente, Nux Vomica mense Septembri adhiberi cœpit, ex qua, aucta paulatim dosi, grana quindecim bis de die horis medicis exhibita sunt, idque sub pulveris forma, quæ tamen propter obortam a deglutito remedio nauseam, in pilularem, cum mucilagine Gum. Tragacanthæ mutata fuit. Inde morbus sensim mitigatus est, tandemque desit, ut Nosocomium ad finem Novembris relinquere potuerit. Ad Februarium anni sequentis adeo bene valuit, ut labores rusticanos preferre potuerit; eodem vero mense vix finito, convulsiones redierunt. Mense Martio in Nosocomium iterum receptus, incisa vena & nuchæ vesicatorio adplicato ob dolorem capititis, Nucem Vomicam eamque pulverisatam ad gr. XV bis quolibet die repetit, idque, ut videtur, bono cum successu.

OBS. III.

Filius viri, nobilitate clari, unicus, tredecim annorum, graciliore corpore, anno 1778 mense Octobri, spasmis le-

vio-

vieribus corripiebatur, qui in convulsiones vehementiores brevi commutabantur. Parentes æque ac medicus eorum ordinarius vermes subesse suspicabantur, nec fine ratione, quatenus in ætate teneriore his fuerat vexatus & dolorem sub præcordiis ac tormina imi ventris paulo ante insultum convulsionis se sentire dixit. Remedia igitur anthelmintica, primum leviora, dein fortiora, interne atque externe adhibebantur, additis emeticis & alvum ducentibus, sed frustranea opera; etenim convulsiones sæpius bis de die infestabant sine ullo vermium expulsorum indicio. Aqua Seidschützensis & Seltziana dein per totam hiemem incassum itidem in uium fuit vocata. Mensis Februario anni 1779 morbus eo crevit, ut quater aut quinques per diem convulsiones impeterent & æger tandem ea non sentiret signa, quæ ab initio quamlibet prænuntiabant accessionem. Id memorabile erat, quod, si quis adstantium, qui paroxysmum prævidere poterat, sub ipsis ejus initii, ægrum in liberum educeret aërem, is vel remiserit, vel plane abfuerit: alias nulla unquam morbi mutatio observari potuit, vel a variatione in aliamentis, vel a motu magis minusve vehementi, ab inedia vel a cibo assumto. Et quandoquidem remedia maxime usitata nihil profuerunt, Aprili ineunte, pulveris Nucis Vomicæ grana octo bis de die dabantur ægrotanti, idque eo cum effectu, ut cura per quatuordecim dies continuata, morbus evanuerit. Æstate insequente bene valuit, viribus corporis, a prægresso morbo collapsis, auctus. Octobri mense, semel tantum aliquod priori morbo simile, sed mitissimum sensit, dum dosin pulveris antea memorati, qui ad manus erat, statim propinarunt parentes, qui læti viderunt, filium carissimum ab eo tempore optima frui valetudine.

B

OBS.

OBS. IV.

Puella rustica, septem annorum, anno ætatis quarto, a subito terrore convulsionibus correpta fuit, quarum paroxysmi, qui erant gravissimi, quovis ut plurimum octiduo revertebantur. Vehementia morbi, functiones animi ita turbaverat, ut stupida, stolida & sine causa meticulosa esset. Ut morbo adeo gravi medicina adhiberetur, Nuc. Vom. gr. sex ter de die data sunt; inde elapsis tribus septimanis, paroxysmi mitigari videbantur, & post aliquot menses rarius accesserunt. Sed quoniam de ea nihil ulterius resciscere datum fuit, de effectu Nucis nihil adeo certi determinari poterit.

OBS. V.

Juvenis rusticus e Gestricia, epilepsia graviter affectus, consilium petiit. Ei primum decem grana nucis vomicæ in pulverem redactæ data sunt, quæ dosis sensim ita aucta est, ut grana viginti quatuor bis quotidie sumeret: a largiori remedii validi exhibitione nihil quidquam mali sensit, præter vertiginem leviorum, statim evanidam. Sed curatio, ipso paulo post abeunte, continuari non potuit.

EXPERIMENTA IN CANIBUS

EXP. I.

Cani mediocris magnitudinis, dimidia drachma pulueris Nucis Vomicæ dabatur jejuno ventriculo, idque in bolo cum mica panis; (ita in ceteris quoque factum experimentis): Nulla inde infecuta est evacuatio alvi aut vesicæ, sed ob saporem pulueris amarum, exserta lingua, os vehementius lingebat. Paulatim torpidior factus, dein vero quasi perterritus, refugia quærebat, ad minimum

mum sonitum attonitus. Post horam a pulvere sumto primus supervenit insultus epilepticus, orsus a capitis crurumque extensione, quam insecuti sunt totius corporis motus convulsivi vehementissimi, cum respiratione anhelosa frequenti, quæ tamen per dimidium minuti primi, mitigatis pedetentim convulsionibus, plane intercepta fuit; iterum vero rediens, sensim ita intendebatur, ut post tria minuta ab initio paroxysmi, spiritum duceret, quasi a cursu, sirio ardente, agitatus fuisset: post 4 vel 5 minuta in placidiorem mutata est respiratio, dum paroxysmus itidem desit. Paroxysmo autem finito, surgens vacillabat & minimo perterritus strepitu, demisso capite torpebat: post horam & dimidiā iisdem symptomatis rediit paroxysmus, cui tertius post dimidiū horæ successit, idque eam ob causam, quod canis fese de loco movere cogeretur. Etenim post primum paroxysmum, novus fere pro lubitu excitari potuit, si ad motum animal cogeretur, aut inter manus paululum quassaretur. Postea quinque sensit paroxysmos, duarum horarum spatio durantes, idque nullo alio discrimine, quam quod induciae fierent breviores, ut tres ultimi se invicem fere exciperent.

EXPER. II.

Pulveris Nuc. Vom. eandem, quæ in priori experimento, dosin cani exhibui, sed grandiori, ut observarem, num dispar magnitudo, differentiæ in effectu quidquam posset efficere; verum in utrisque vidi eandem convolutionum scenam, pupillam sub iisdem dilatatam, & mortem eodem tempore contigisse.

EXPER. III.

Ut exploraretur, quanta pulveris dosis mortem inducere possit, cani mediocris magnitudinis grana pulve-

ris nucis vomicæ dabantur sex; inde post quinque horas torpescens videbatur & paululum langvidus. Sex horis præterlapsis, infirmitas quædam crurum velut a vertigine quadam visa est, cum pupilla aliquantulum dilatata; erectus fulcimentum quæsivit, procumbens pedes minus expedite sub truncum corporis composuit, strepitus præterea impatiens. Post novem autem horas alacrior factus est, fracta procul dubio hoc temporis intervallo vi pulveris, ut avide posset cibos oblatos vorare, pulvere licer nondum per secessum redditio.

EXPER. IV.

Canis eidem postero die pulverem in dupli quantitate seu ad grana XII deglutiendum dedi; post tres horas primus adparuit paroxysmus, quem dein quindecim alii exceperunt, longiori vel breviori temporis intervallo a se invicem sejunsti, ceterum a descriptis Exper. I. minime abludentes: hora septima cum dimidia a recepto veneno mortuus.

EXPER. V.

Discrimen inter Nucis pulverem & extractum ejus aquosum exploraturus, cani mediocris magnitudinis extracti tria dedi grana; nulla inde singularis oborta est mutatio, nisi quod hora quarta in abdomen se devolvens, animo justo demissori esse videbatur: sub isto decubitu, crus alterum leviuscule conveltebatur. Sed non multo post adeo alacris est factus, ut hora sexta a sumto extracto, cibos more canum avide sumere posset.

EXPER. VI.

Duobus elapsis diebus eidem cani propinata fuere extracti aquosi grana sex: post alacritatem duarum horarum, mœstior paulatim, timidior & inquietior factus est, ut coactus fuerit modo in ventrem procumbere eundem-

demque ad pavimentum fricare, modo surgere, gestiens parietibus inniti, vacillanti licet gressu. Paulatim robur ita fractum, ut cubans pedes vix retrahere, surgens iisdem inniti ægre valuerit. Post quatuor a devorato extracto horas, verus adfuit paroxysmus, experimento primo persimilis, eodem vero superato, svelta sensit symptomata, sed præter opinionem paulatim mitigata, donec octo præterlapsis horis, paululum, sed sine appetitu, sumeret alimenti: hora undecima, extracto nondum per alvum reddito, ad plenam rediit sanitatem.

EXPER. VII.

Cum experimento priori constaret, sex grana extracti Nuc. Vom. aquosi canibus non esse lethifera, canis mediocri magnitudine, priori suppar, fuit adhibitus, cui extracti Nuc. Vom. spirituosi grana sex porrigebantur. Horæ spatio vix elapso, consuetos sensit motus convulsivos, & post novem paroxysmos, hora ab extracto deglutito tertia cum dimidia exspiravit.

EXPER. VIII.

Canis grandiori & robusto, grana extracti spirituosi dabantur quinque. Post horam elapsam, male se habere cœpit, dum casu inopinato in fugam se recepit, sed mortem effugere non potuit, quæ a sumto toxicō quarta aut quinta hora, ut mihi narratum est, contigit.

Et hæc præcipua sunt experimenta, non vero omnia cum nuce vomica & ex ea præparatis extractis facta. Adfinitas singularis inter hanc & Fabam Ignatii curiosum impulit animum, ut cum eadem nonnulla quoque instituerem experimenta.

EXPER. IX.

Canis majori, pulveris Fabæ Ignatii drachma semis

B. 3.

mo-

modo antea dicto porrigebatur. Post horam dimidiam deterius valere cœpit, eadem, qua ceteri a Nuce Vomica, ratione, ea tamen differentia, quod saliva de ore large efflueret. Post horam, primum paroxysmum passus est, supra descriptis vehementia & duratione maxime consentientem, minimo tantum in ordine convulsionum observato discrimine. Quatuor vexatus paroxysmis, post horam cum dimidia vitam posuit.

EXPER. X.

Canis mediooculis magnitudinis quinque dedit grana pulveris Fabæ Ignatii, sed non alio cum eventu, quam quod hora quarta inquietior per aliquot minuta adpareret: sumtis dein alimentis, optime valuit.

EXPER. XI.

Postero die scrupulus dimidiatus pulveris Fabæ Ignatii eidem cani exhibui. Per tres fere horas nullo alio adfici videbatur malo, nisi quod subtristis, inquietus in ventrem procumberet, cum vano & decumbendi & surgendi desiderio: inter hæc saliva uberior effluxit. Transacto hoc tempore primum persentit paroxysmum, pari illis, quos infert nux vomica, duratione. Hoc supervato iterum irrequietus & ad minimum strepitum pavidus. Saliva semper fluebat copiosissime. Non diu duravit, antequam alter supervenerit paroxysmus, quem alii exceperunt longiori vel breviori tempore a se invicem disjuncti, donec vita, hora a sumta faba octava, sub vigesima prima accessione extingveretur *t*).

EX-

t) Apertis cadaveribus pulvis tum Nucis Vomicae tum Fabæ Ignatii, parca dosi ingestus, semper vel in jejuno vel ileo, immo etiam in cæco, fuit inventus: ceterum eadem observata sunt, quæ ex WEPFERO recitavit GEOFFROI.

EXPER. XII.

Experiri demum placuit varia remedia, insigni amaritie prædita. Canibus igitur grandioribus exhibui Extr. Chinchinæ, Gentianæ, Centaurii minoris, Cardui benedicti, Fumariæ, Trifolii aquatici, & Fel bovis inspissatum, idque a minori ad majorem dosin, donec tandem ad scrupulos binos, Bili autem bovina ad drachmam cum semisse, deventum fuit. Sed nullum saltem memoratu dignum inde obortum incommodum percipere potui, uti nec ab Extracti Hyoscyami drachma cum semisse.

Ex allatis observationibus patet, Nucem Vomicam, justa dosi datam, non infimum inter antispasmodica obtinere locum, cum Convulsiones & Epilepsiam levare, Obs. I. & IV, quin tollere, Obs. II. præsertim III. valuerit. Deinde ab Exp. XII. constat, vim ejus deleteriam in canibus, per nostra & aliorum pericula confirmatam, non ab amaritie, quæ ei summa inest, provenire, ut GEOFFROI existimat, sed a narcotico principio, quod continet. Denique ab Experimentis IX, X, & XI. liquet, Ignatii Fabam, pares cum Vomica Nuce habere vires lethiferas; qui igitur eandem, ut tonicum infirmitati viscerum subveniens, adhibere velint, videant ne in ea porrigenda justo sint largiores.
